

**De gastritide chronica : dissertatio inauguralis ... / auctor Augustus
Eduardus Jaeneke.**

Contributors

Jaeneke, August Eduard.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ferdinandi Nietack, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s79vq2j2>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

GASTRITIDE CHRONICA.



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD DOCTORALES

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXII. M. JULII A. MDCCCXXX.


H. L. Q. S.

PUBLICAE DEFENSURUS EST

AUCTOR

AUGUSTUS EDUARDUS JAENEKE,

HALBERSTADIENSIS,



OPPONENTIBUS:

TERM. BURMEISTER, PHIL., MED. ET CHIR. DR.

ENR. AEMIL. SUCCOW, MED. ET CHIR. DR.

L. BAUMGARTEN-CRUSIUS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI.

TYPIS FERDINANDI NIETACK.

GASTRITIDE CHRONICA

ANALYSIS

DISSERTATIO IN HONOREM

GRADU

RATIONIS MEDICORUM ORDINIS

AUTORITATE ET CONSENSU

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GUILLIELMA

AD DOCTORES

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RECEPIT

ANNO MDCCCXXX

ET

PRIMUM PUBLICUM EST

AUCTOR

AUGUSTUS EDUARDUS JANKKE

HALENSIS

MDCCCXXX

OPPOSITIBUS

FRANCIS HERMANNI, PH.D., M.D., ET CHIR. M.

FRANCIS HERMANNI, PH.D., M.D., ET CHIR. M.

FRANCIS HERMANNI, PH.D., M.D., ET CHIR. M.

BEROLINI

TIPIBUS FRIEDRICHI NITZSCH

PATRI OPTIMO

J. CHR. GODOFREDO JAENEKE

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI MEDICOQUE FORENSI

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM

SUMMA PIETATE

DICAVIT

FILIUS.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

Cum dissertationem exaraturus admodum dubius
caesissem in eligenda materia, recordabar verba
praeceptoris Krukenberg, qui vir sagacissimus mul-
aque expertus inter varia, quae docet, nova etiam
hanc proponit theoriam „se in numero morborum,
medicis et pristini et nostri aevi neglectorum,
habere chronicam stomachi inflammationem, quippe
quae, quamvis frequentissime occurat, variis cum
abdominis affectionibus, tam inflammatoriis, quam
nervosis, inprimis Cardialgia prope dolor! confun-
datur.” Quam sententiam esse verissimam et gra-
vissimam, mihi persuasissimum est, cui frequen-
tanti scholas, quas vir praeclarus instituit, poli-
clinicas, crebra sese obtulit occasio, non tan-
tum homines hoc morbo laborantes observandi,
sed etiam defunctos secandi. Literis tradita de
hac materie perlustrans, si varios Gastritidis chro-
nicae exitus v. c. indurationem, scirrhum et ul-
cera ventriculi respicio, tantam expositorum uber-
tatem reperio, quantam hoc loco percensere non
possim; sed Gastritidem chronicam, quae sola
ventriculi destructi causa habenda mihi videtur,
ceterique obiter attingunt. Quamquam van Swie-

ten ¹⁾, Hoffmann ²⁾, P. Frank ³⁾, C. Sprengel ⁴⁾, Raimann ⁵⁾, Berends ⁶⁾, ab Hildenbrand ⁷⁾, Pemberton ⁸⁾, Henning ⁹⁾, alii hujus rei faciunt mentionem, Krukenberg ¹⁰⁾ tamen primus exstitit, qui morbum accuratius uberiusque describeret. Quae autores de Gastritide chronica retulerunt, quaeque ipse vidi et expertus sum, haec hisce pagellis in mentem revocare conabor.

Lecturi tironis opusculum benevole atque indulgenter excipiat velim.

1) G. van Swieten, Commentarii in Boerhaave aphorismos de cognoscendis morbis. Vol. III. p. 144.

2) F. Hoffmann, Systema medicinae rationalis. Basel 1783. Tom. IV.

3) P. Frank, de curandis hominum morbis epitome. Venetiis 1794. Vol. II. pag.

4) Curtii Sprengel, institutiones medicae. Mediolani 1817. Vol. VI. pag. 308—14.

5) J. N. Raimann, Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie. Wien 1823. Bd. 1. pag. 1340—48.

6) Berends, Vorlesungen über praktische Arzneiwissenschaft, herausgegeben vom Dr. Sundelin. Berlin 1828. Bd. 3. pag. 287—304.

7) Val. ab Hildenbrand, institutiones practico-medicae. Vindob. 1816. T. III. p. 292.

8) Pemberton, prakt. Abhandlung über versch. Krankheiten des Unterleibes. A. d. Engl. von G. v. dem Busch. Bremen 1817.

9) Henning, Kennzeichen und Heilungsart der Entzündung des Magens und der Gedärme. Kopp. 1795.

10) P. Krukenberg, Jahrb. d. ambulat. Klinik zu Halle. Halle 1820. Bd. 2. pag. 253—324.

Gastritides chronicae semiologia.

Symptomata, quibus morbus incipiens manifestatur, plerumque tam levia atque occulta sunt, ut aegroti, naturae medicatrici fidentes, morbum parvi vel nihili faciant. Quae signa quoad causam remotam, aegroti constitutionem, morbi selem, gradum et stadium ita differunt, ut symptomatologiam certam proferre difficillimum sit. Nihil secius existant signa, quae essentialia ac peculiaria dici merentur. Dolores, ut plurimum pylo-ri regionem obsidentes, fixi, externa digitorum pressione ac paullo post coenam plerumque augescentes, modo remittunt, modo exacerbantur; huc accedunt: functio organorum digestionis laesa, ilvi pertinax obstructio, epigastrii tensio, sapor alienatus, appetitus ciborum minutus, nausea, ructus, vomituri- tio, vomitus, sitis plerumque aucta, febris, dysphoria continua, macies in dies augescens. Quae symptomata Gastritidem chronicam ab exordio ad finem persecuturus, accuratius exponam.

Signum procul dubio gravissimum atque constantissimum habeo dolorem. Sed cavendum, ne nimium huic symptomati fidamus. Etenim tanta dolorum est varietas, ut in singulari quovis casu

rem mutata inveniamus. Apparent dolores modo mites, modo acerbi, interdum tam atroces, ut aegrotis vix sustineantur. Ineunte morbo sensatio dolorifica paene nulla exstat, aut levis, incerta; invalescente vero gastritide ac desorganizatione ventriculi jam orta, dolores cognoscuntur manifesti, fere continui, plus minus vehementes. Quo saepius chronica vensriculi inflammatio exacerbatur, quo longius temporis spatium emetitur, quo major ventriculi est degeneratio: eo evidentior, constantior atque atrocior dolor esse solet. Aliis dolores raro, aliis crebro exacerbantur; alium singulis modo hebdomadibus vel mensibus, alium vel singulis horis, vel binis, vel quaternis, aut singulis diebus adgrediuntur. Quemadmodum paullo post coenam, plerumque una vel duabus horis elapsis, hausto potu irritante, spirituosos, assumtis alimentis crudis, praegressa refrigeratione, nec non animi pathematibus, imprimis deprimentibus, tussi fortiori, vel sternutatione, menstrui fluxus et haemorrhoidum suppressione, dolores ventriculi augentur, ita calefactis ventre extremitatibusque inferioribus, apta diaeta, refrigeratione animique affectibus vitatis, non minuuntur solum, verum etiam in dies aut hebdomades penitus disparere videntur. Licet externa digitorum pressione dolorum vis fere semper crescat, tamen observavi aegrotos, qui gravius comprimendo regionem epigastricam, ventrem mensae apprimendo, corpus flectendo, ad ventrem decumbendo, dolores

sedari ¹⁾ affirmarent. Pecuniarem morbi dolorum-
que sedem in pylori regione inveni, ita ut con-
tenderim, inter decem aegrotos unum fere aliam
stomachi partem dolore affectam conqueri. Inter-
dum fundus ventriculi, rarissime cardiae regio,
chronica inflammatione laborans, dolere consuevit.
Quandoque omnes ventriculi membranae chronica
inflammatione tenentur totumque abdomen tan-
tam sensilitatem concipit, ut levissimus tactus
atroces inferat dolores. Atrociori gastritidis chro-
nicae exacerbatione dolores haud raro per totum
abdomen, ad lienis regionem, juxta sternum ad
pulmones, ad dorsum, scapulas, ad oesophagum
usque diffunduntur et suffocationis spasticaeque
oesophagi contractionis sensum efficiunt. Respi-
cienti dolorum indolem maxima eorum varietas
offertur, quae praecipue a cujusque aegroti irri-
tabilitate, a morbi sede, stadio, remissione atque
exacerbatione pendere videtur. Alii dolores de-
scribunt obtusos, alii prementes, alii ardentes,
pungentes, lancinantes. Sunt, qui subito mole-
stum frigoris sensum in ventriculi regione que-
rantur; aliis calor nimius est. Sunt, in quibus
dolentem non modo epigastrii, sed etiam totius
abdominis intumescuntiam, pulsationem epigastricam
anxietatemque praecordiale invenerim. Raris-
sime observantur aegroti, doloris expertes. Pro-

1) C. W. Hufeland, Journal der praktischen Arz-
neikunde etc. Novbr. 1812. St. IV. pag. 3. — Kruken-
berg, Jahrbücher etc. Bd. 2. pag. 255.

vecta gastritide ac destructione incipiente, aegroti ardentem queri solent dolorem ¹⁾, qui post coenam intolerabilis evadit, digestionem autem peracta remittit ²⁾. Dolor est pungens, lancinans, ubi aeger, injuriis obnoxius, vehementem morbi exacerbationem provocavit. Epigastrii pulsatio a motu febrili vasorum regionis epigastricae sanguiferorum, a plethora venosa abdominali, a congestionibus ad hanc partem deducenda mihi videtur. Ubi chronica inflammatio homines sensiliores, hystericas mulierculas affecit, frigoris aut caloris sensus inimicus apparet. Omni dolore liberos se profitentur aegroti, in quibus ventriculi degeneratio summum obtinuit gradum.

Signum, in Gastritide chronica dignoscenda non minoris aestimandum, cernitur in pertinace alvi obstructione, quae interdum per 3 — 4 — 6 dies ³⁾ continuos tenet. Quae obstipatio licet gastritidem chronicam fere semper comitetur, tamen vario morbi stadio haud parum differt. Namque incipiente morbo alvus quidem adstricta est, sed excrementorum tarda difficilisque dejectio ab ea, quam omnisquaeque mitior inflammatio infert, vix distat. Gastritide longius progressa, in dies

1) J. N. Petzold, von Verhärtung und Verengung des untern Magenmundes. pag. 10.

2) Diction. des sciences med. Tom. XVII. p. 379.

3) C. W. Hufeland, Journal, Bd. 1. St. 1. p. 117. — Monographie des degenerations skirreuses de l'estomac, par Chardel. I. c. pag. 12.

infestior ac pertinacior fit, ita ut alvus, initio binis vel ternis diebus excernere solita, quaternis vel senis diebus solvatur. Sunt, quibus alvus fere semper adeo dura exstet, ut elui quotidie oporteat. Quae alvo dejiciuntur, plerumque sunt dura, fusca, succolatae colorem referentia, nigra, quasi combusta; interdum faeces secedunt albidae, mucosae, argillaceae ¹⁾ caprinis stercoribus haud dissimiles; subinde excrementa apparent quasi abscissa, castaneis aequi paranda; tubulosa etiam secessisse feruntur ²⁾. Saepe accidit, ut molesta obstructio in diarrhoeam ³⁾ abeat, qua ejiciatur materia pultacea, liquida, mucosa, fusca, viridis, nigra, puriformis, striis sanguineis remixta.

Symptoma, a permultis scriptoribus memoratum, a nonnullis haud observatum, vulgo tumor durus habetur, qui in extremo Gastritidis chronicae stadio, degenerationibus membranarum ventriculi jam exortis, in praecordiorum regione ⁴⁾ animadvertitur. Quem tumorem forma, ambitu, numero et sede admodum differre dicunt. Interdum durities tam exigua est, ut, si aeger, laxato abdomine, supinus cubat, vix percipiatur; nonnunquam autem tanto insignitur ambitu, ut non modo epigastricam regionem occupet, sed quandoque

1) C. Sprengel, Institut. med. Vol. III. p. 314.

2) Krukenberg, Jahrbücher. Bd. 2. p. 257.

3) Chardel, l. c. pag. 48.

4) C. Sprengel, Institut. med. Vol. III. p. 314.

umbilicalem ¹⁾, imo versus pelvim ²⁾ descendat. Nonnunquam plures observati sunt tumores minores, aut major unus e minoribus consistere visus ³⁾ est. Tumor saepe fixum tenere locum, saepe pressioni externae cedere digitisque huc illuc moveri posse dicitur. Krukenberg, sagacissimus naturae scrutator, tumorem nunquam observavit ⁴⁾. Quanti igitur hoc signum, quod ipse in vivis nunquam animadverti, faciendum censeam, dubius haereo. Nihilo secius Kleinerti ⁵⁾ annales legens, hoc symptoma gravissimum haberi comperi, nam contendit Andral, unicum et certissimum, quo verus ventriculi scirrhus cognosci possit, signum esse durum ventriculi tumorem.

Majoris sane momenti ad morbum dignoscendum ructus crebri, vomituritio vomitusque mihi esse videntur. Nam quotquot vidi Gastritide chronica laborantes, omnes hasce molestias conquerebantur. Gastritide remittente, aut ingravescente haec signa vel minuuntur vel augentur. Tempore igitur, quo ab aegrotis molestiae inflammati ventriculi absunt, aut nullam edunt quere-

1) A. ab Haller. Disputationes. Tom. III. pag. 65.

2) Chardel. I. c. pag. 154.

3) C. W. Hufeland. Journal. I. c. Bd. V. St. 1, pag. 419.

4) Jahrbücher. Bd. 2. pag. 263.

5) Kleinert, allg. Repertorium. IV. Jahrgang. II. Heft. pag. 144. — Clinique médicale, ou choix d'observ. rec. à la Clinique de M. Lermier, et publiées par G. Andral.

lam, aut conqueruntur nauseam periodicam, vomituritionem, qua paullo post coenam crebris sub ructibus materiam plus minusve copiosam, plerumque aquosam, mucosam, interdum spumosa, vel insipidam, vel salsam, acidam, amaram vulgo explodunt.

At vehementi morbi exacerbatione non modo creberrimi vomendi conatus aegrotum vexant, sed etiam vomitus, quo potus et cibi vel blandissimi, regurgitantur. Quibus fit, ut quaevis injuria, gastritidis exacerbationem provocans, aut morbo augmentum adjiciens, in hoc symptoma magnam vim exerceat. Ubi chronica ventriculi inflammatio primum facit impetum, ubi homo per breve tantum tempus morbo laboravit atque recens exacerbatio vehemens non est, vomituritio et vomitus desiderari solent. Quo majora morbus cepit incrementa, praesertim destructis jam ventriculi membranis, eo minus aegroti ructu et vomitu destituuntur. Quod ad brevius aut longius temporis spatium, quo cibi assumpti vomitione redduntur, attinet, morbi sedem respiciamus necesse est. Etenim si affectio morbosa circa pylorum aut in ipso pyloro sedet, plerumque nonnullis horis post coenam, aut digestionem peracta, postquam cibi in duodenum transierunt, vomitus oritur; si Gastritidis sedem exhibet cardiaae regio, aegri cibos assumptos, priusquam in ipsum ventriculum deventerunt, vomitu rejiciunt¹⁾.

1) Chardel. I. c. p. 154.

Quae vomitione redduntur, pro morbi gradu differunt. Initio morbi cibi assumti, majori minorive copia aquae ¹⁾, acidum vel amarum resipientis, commixti ejiciuntur; aut materia ejecta nil est, nisi larga aquosi turbidique liquoris coluvies. Orta provectaue ventriculi destructione, ejecta spirant odorem foetidissimum, interdum putridum; eodem utuntur sapore; colorem saepe referunt fuscum, brunneum ²⁾, nigrum ³⁾; saepe prasina cernuntur, pus recens redolent et dulciusculum, insulsum movent saporem. — Apponuntur exempla, in quibus nullus vomitus observatus sit. Cujus rei causa varia haberi potest; e. g. si morbus in ipso cardiae orificio sedet idque ita constringit, ut cibi et potus ad ventriculum quidem aegrius deveniant, minime vero per ingentem cardiae contracturam ad oesophagum redire possint; si totus ventriculus degeneratus atque induratus, si partibus finitimis adnatus, aut tanta ejus est expansio, ut omni contractionis vi careat.

Quibus signis missis, alia symptomata sunt notanda. Errat Boerhaave febrem contendens ab inflammatione esse inseparabilem ⁴⁾. Nam quo tempore chronica ventriculi inflammatio remittit,

1) C. W. Hufeland, Journal, Bd. XVIII. St. 1. pag. 130.

2) Petzold. l. c. pag. 11.

3) Hufeland. Jan. 1815. St. VI. pag. 47.

4) Aphorismi. §. 558.

febris omnino deficit, atque remissio veram intermissionem interdum aemulari videtur. Morbo longius progresso itaque remissionibus rarioribus, febris urget, quae sub vesperam levi horrore, a spina dorsi ordiente, cum calore alternante, incipit et gastritide exeunte in febrim hecticam mutatur. Pulsus ut plurimum observantur parvi, suppressi, tensi, frequentes, interdum justo rariores, intermittentes. Quae pulsum exilitas et raritas, cuivis inflammationi, qua nervus sympathicus affectus est, propria, etiam in Gastritide chronica pro signo peculiari haberi meretur.

Sanguis e vena missus seri multum continere solet. Urinam deprehendimus flammeam, saepe serosam, sedimento albido, mucoso conspicuam. Nonnunquam variae affectiones catarrhales, ut nasarium, pulmonum, organorum uropoëticorum, aut dolores rheumatici artuum totiusque corporis gravitas, morbi comites apparent.

Cum gastritide chronica organa digestionis atque assimilationis necessario pessumdentur et, quo magis morbus provehitur, eo frequentiores fiant exacerbationes, aegrum exaurientes: facile est intellectu, totum organismum in dies magis imagoque confici. Hinc accidit, ut aegroti cachecticam prae se ferant speciem. Pallet facies et livet maculisque notatur luridis. Ingens totius corporis languor, quem aeger queritur, in dies augetur. Languet animus ac despondetur. Aegroti vulgo sunt solliciti, tristes, morosi, adiaphori, hypochondriaci, vitam pertaesi. Laborant plerumque

doloribus capitis, fronti infixis, obtusis, prementibus, vertigine, sensuum obnubilatione, photopsia, lipothymia; somno fruuntur aut nimio, aut nullo.

Gastritide exacerbata, omnium symptomatum augmentum nascitur. Oriuntur dolores abdominis atroces pungentes, lancinantes, intolerabiles, ut aegri nec cibum, nec potum, nec medicamenta, nisi blandidissima, haurire aut continere, nec corpus vertere aut movere possint; nausea continuaque vomituratione vexantur, crebro ructu aquam putridi odoris explodunt, et violento vomitu non modo cibum ac potum, sed etiam mucum et bilem acrem, prasinam ejicere coguntur. Febris ingens summaque virium prostratio hunc statum comitantur. Sedato impetu remittunt quidam omnia symptomata, sed aeger plerumque tam debilis est, ut vix recreari possit.

Hoc quidem modo Gastritis, nisi medicorum ope penitus sanetur, per 4, 6, 8, 12 hebdomades, singulis, binis, quaternis diebus exacerbari et remittere solet; saepe cessisse videtur, sed serius ocus, plerumque hebdomadibus, mensibus, interdum annis interpositis morbus neglectus redit naturamque induit habitualement. Destructo ventriculo, nulla spes, morbum radicitus sanandi affulget. Plerique homines, per annos quinque, decem, imo viginti, Gastride chronica miserrime vexati, phthisi abdominali sudoribus profusis, febre hectica, diarrhoeis colliquativis conjuncta, diem ob-eunt supremum. Multorum vitae tabes sicca finem im-

imponit.¹⁾ Alii Ascite et Hydrothorace perimur. Multi sub atroci Gastritidis exacerbatione inter vehementissima tormina animam expirant. Sunt, qui morbis secundariis, v. c. Enteritide, Peritonitide intereant. Nonnulli haematemesi, quae quasi sanguifero ventriculi rupto originem debet, quasi exsanguis pereunt.

1) D. W. Triller, Diss. de fame lethali ex callos. oris ventriculi angust. Viteb. 1750. G. A. Langguth, de fame sicca lethal. ex callos. pylor. angust. Viteb. 1750. Serends, Vorlesungen Bd. 3, pag. 296. Krukenberg, Jahrbücher. Bd. 2, pag. 263.

Cadaverum sectiones.

Haud dubie sedulae crebraeque funerum incisiones solae viam praemonstrant, qua pathologia et therapia ad sublimiorem gradum evehi queant. Quae sententia cum ad universam medicinam, tum praesertim ad Gastritidem chronicam, cujus diagnosis permultis adhuc incertis atque ambiguis premitur, referenda mihi videtur. Reperiuntur saepe membranarum ventriculi degenerationes, quae consistentia, ambitu, sede admodum variant. Haud raro visae sunt membranae ventriculi in massam homogineam quasi connatae, durae, calceamentorum corio haud dissimiles, interdum carnosocallosae, tendinosae, fibris intertextae, cartilagineae, ossificatae vereque scirrhusae. Quae destructiones, inter membranam mucosam et muscularem ortae, vulgo pylori regionem, quandoque fundum ventriculi, aut totum ventriculum, rarissime orificium cardiacum obsident; interdum pylorum ita constringunt, ut vix calamus scriptorius trajici possit. Massa inspissata haud raro in ulcerationem transit. Sed ventriculi ulcera, gastritidem chronicam sequuta, superficialia esse solent, raro altius descendunt, ventriculum perforant, abscessus fistulasque producunt. Ubi vehementi haematemes

Jaeger periit, Krukenberg medio in ulcere vas sanguiferum ruptum invenit,¹⁾ quod altero in casu arteriam ventriculi coronariam sinistram, in altero arteriam gastroepiploicam sinistram fuisse dicit. ubi enteritide aut peritonitide, quae contentorum effusionem in cavitatem abdominalem secuta est,²⁾ aegroti subito obierunt, prope locum destructum duo, tria aut quatuor foramina,³⁾ omnes ventriculi membranas penetrantia, observavit. Quis in casibus chronica ventriculi inflammatio post fibrin gastrico-venosam aestivali tempore orta est, non tantum in ventriculo, sed etiam in intestino tenui, Duodeno, Jejuno, Ileo ulcera superficialia dedit.⁴⁾ Excrescentias in tunica ventriculi mucosa majores minoresve interdum reperit, variae contentitiae, modo callosas, duras, modo spongiosas, polles, inaequales, asperas, interdum villosas. Vasa ventriculi sanguine impleta, superficiem internam materia sordida, fusca obductam ipse vidi. Gastromalaxiam Cruveilhier,⁵⁾ Heim,⁶⁾ Jaeger,⁷⁾ Krukenberg⁸⁾ observarunt. Anomalias ventriculi haesiones cum partibus vicinis saepe reperimus.

1) Jahrbücher Bd. 2. p. 320 u. p. 353.

2) Ibid. pag. 317.

3) Ibid. pag. 267.

4) Ibid. pag. 267.

5) Cruveilhier, *medicine pratique*. Paris 1821.

6) Horn's Archiv. Jahrgang 1809. Bd. 3 p. 181.

7) Hufeland's Journal Bd. 32. St. 5. p. 8.

8) Jahrbücher Bd. 2. p. 298.

— Restat, ut scriptorum argumenta; quibus sententiae supra prolatae probentur, apponam. Ut plurimum pylorum, glandulis abundantem, gastritidis sedem exhibere asserunt Meckel,¹⁾ Raimann,²⁾ Berends.³⁾ De pyloro calloso, ulcerato, nodis duris passim obsito Morgagni⁴⁾ verba facit. Char-
del⁵⁾ scirrhum pylori decies observavit. Petzold⁶⁾ pylorum castilagineum, ad pollicem usque incre-
satum, atque ita constrictum invenit, ut ne penn-
quidem transmitti posset. Bader⁷⁾ pylori osse
tumore annulari carnosio circumdati, mentionem
facit. Pylorum induratum ac penitus clausum me-
morat Graves.⁸⁾ De pyloro duro, valde degenera-
rato, dimidiam lineam alto, quinque tantum linea
amplo Littre disserit. Quae pylori degenera-
 exempla Krukenberg proponit, notatu dignissim-
 sunt. Primo in casu sedem principem regio pyl-
rica obtulit, quae circiter dimidium pollicem in-
crassata, in superficie interna ulcerata fuit inequ-
inaequalis, villosa apparuit.¹⁰⁾ In secundo cad-

1) Handbuch der pathologischen Anatomie, Bd.
Abth. 2. pag. 358.

2) Handbuch Bd. 1. pag. 341.

3) Vorlesungen Bd. 3. pag. 295.

4) De sedibus et causis morborum, Ed. Radi-
Lipsiae 1828. Tom. III, Epist. XXIX.

5) I. c. p. 53—79.

6) In Monographia, quam supra commemoravi.

7) Observat. med. XLII.

8) London, medical. Journal, Vol. XI.

9) Academ. royal. des sciences, 1704, 26.

10) Jahrbücher Bd. 2. p. 283.

re ventriculum invenit extensum, liquore fusco
 impletum, pylorum tumore circulari indurationeque
 im constrictum, ut vix calamus permearet. In
 asocomio caritatis Berolinensi cadaver est sectum,
 ius tota regio pylorica scirrhusa induratione tres
 digitos lata duosque crassa affecta erat; huc acces-
 s, quod in superficie interna partis destructae
 pus perspicuum, trinummi magnitudine reperi-
 tur.²⁾ — Cardiae degeneratae rariora existunt
 exempla.³⁾ Chardel superius ventriculi orificium
 assescens et coarctatum quinquies observavit, aliis
 casibus cartilagineum ac paene clausum, in aliis
 m carcinomatosum, ulceratum, sordidum, pu-
 di odoris. In casu, quem Luther commemorat,⁴⁾
 tium fuit cartilagineum, ventriculi parietes ma-
 ne incrassati. Similes casus Portal,⁶⁾ Triller,⁷⁾
 ii, observarunt. Saepius quam Cardia, parietes
 ntriculi destructi occurrunt, haud raro admodum
 gusti et coarctati, interdum praeter normam ex-
 asi. Invenit Haller ventriculi parietes totos scirr-
 sos, cartilagineos, quatuor lineas crassos.⁸⁾ Mor-

1) Jahrbücher Bd. 2. pag. 289.

Alia invenies exempla p. 298 et p. 317.

2) Rust, Magazin für die gesammte Heilkunde.
 XXX. Heft 2. p. 345.

3) Meckel, Pathol. Anatomie. Bd. 6. Abth. 2. p. 350.

4) I. c. p. 17—36.

5) C. W. Hufeland, Journal I. c. Bd. I. St. 1. p. 117.

6) Anat. medical. Vol. V. p. 204.

7) Haller. Disputat. Tom. III. p. 31.

8) Hist. de la soc. roy. de medic. 1785.

gagni refert, se ventriculum parte circiter tertia induratum reperisse.¹⁾ Krukenberg²⁾ in superficie ventriculi externa anteriori massam invenit fungosam, mollem, rotundam, diametrum unius ac dimidii pollicis referentem; ipsum ventriculum autem parvum, media parte constrictum, atque in regione pylorica membranas magnitudine palmae manus induratas, cartilagineas, capiti pancreatis similiter destructo arctissime adnatas. Alio in casu ventriculum cum septo transverso et hepate conglutinatum, omentum majus incrassatum, membranas medii ventriculi coarctati crassas durasque conspexit.³⁾ Stomachi maxime extensi, scrobiculum cordis regionesque iliacas explentis, alte in pelvim descendentes mentionem facit Aepi,⁴⁾ qui simul totas ventriculi membranas crassas, duras a pylorum penna angustiores reperit. Alia exempla hac pertinentia Lieutaud,⁵⁾ Sandifort,⁶⁾ Morelli Morgagni, alii literis mandarunt.

1) Tom. III. Epist. XXIX. art. VI.

2) Jahrbücher Bd. 2. p. 303.

3) Ibid. p. 309.

4) Hufeland's Journal I. c. Bd. XVIII. St. III. p. 120.

5) Hist. anat. med. I. p. 25.

6) Observat. anatomico-pathologic. Lips. 1779. Tom. IV. p. 49.

7) Comm. Bonon. Tom. II. p. 1.

Morbi diagnosis.¹⁾

Quibus signis Gastritis chronica cognoscatur, symptomatologia abunde docet. Reliquum est, ut nonnullos morbos, qui cum Gastritide haud raro confunduntur, afferamus.

I. Cardialgia.

1. Cardialgia est morbus nervosus, variis systematis nervosi affectibus ut plurimum conjunctus, hominibus constitutionis tenerae, sensibus proprius, intermittens, cum periodismo paroxysmorum.

2. Febris plerumque nulla; pulsus normales; urina copiosa, clara.

Gastritis chronica.

1. Gastritis chronica est morbus inflammatorius, remittens et ingravescens, fere nunquam intermittens, praesertim ubi ventriculi destructiones ortae sunt.

2. Febris, morbo remittente levis, ingravescente fortis, corpore confecto lenta. Pulsus parvi, suppressi, frequentes, interdum rari, adeo intermittentes. Urina flammea, saepe serosa, sedimento albido, mucoso insignis.

1) P. Frank, Epitome T. II. p. 239—40.

Berends, Vorlesungen. Bd. 3. p. 289—91.

Sprengel., Institut. Vol. VI. p. 310.

C. F. Lutheritz, Diagnostik. Ilmenau 1829.

3. Dolores, qui Cardialgiae paroxysmos comitantur, fortiori abdominis constrictione et compressione diminui solent, sedatoque impetu vere intermittunt.

4. Functiones organorum digestionis minus graviter et continuo laesas in Cardialgia deprehendimus, quam in Gastritide. Appetitus ciborum non diminutus; lingua pura, sapor prae-
vus, nausea, vomitus.

5. Remedia antispastica aegrotis opitulantur.

6. Cardialgia rarior est.

3. Dolores, quibus Gastritide laborantes vexantur, ne finita quidem exacerbatione intermittunt, sed remittunt, et quavis externa pressione augentur.

4. Digestio perpetuo laesa, alvus strictissima, lingua muco albo obducta, papillis prominentibus, appetitus vulgo nullus. Gastritide longius provecta aegroti materiam vomunt foetidam, purulentam, sanguine haud raro commixtam, quae in Cardialgia nunquam ejicitur.

5. Cura antiphlogistica aegrotis salutem fert.

6. Gastritis chronica frequens occurrit.

II. Rheumatismus musculorum abdominalium.

Ubi Rheumatismus in regione epigastrica et praecordiis sedem figit, cum Gastritide confundi potest. Dolores hoc in casu exteriores, minus intestini sunt quam in Gastritide. Functiones digestivae laesae non sunt,

Gastritis chronica.

Dolores quasi interni, digestio laesa; cibus et potus vomitione redduntur.

vomiturio et vomitus, etiamsi aeger cibum potumve assumserit, haud insunt.

III. Peritonitis chronica.

1. Totus venterensus, inflatus, adeo sensibilis, ut aegroti vix levissimum tactum, sine ladicem quidem, ferre queant.

2. Dolores vagi, totum abdomen occupantes.

3. Dolorum incrementum paullo post coenam; vomitus in Peritonitide minus constans quam in Gastritide.

4. Morbi decursus multo celerior quam Gastritidis.

Gastritis chronica.

1. Dolorum ventriculi fororum imprimis pylori regio sistit.

2. Dolores vulgo fixi.

3. Doloris augmentum post coenam et vomitus peculiariora Gastritidis symptomata.

4. Gastritis lento passu incedere solet.

IV. Mesenteritis chronica.

Morbus occultus, difficillimus cognitu, cum Gastritide facile confundendus, in quo similia symptomata digestionem continuo laesam, dolores circa umbilicum sedentes, fortiori quovis motu, externa pressione ciborumque assumptione augescentes, de-

Gastritis chronica.

Gastritis chronica raro aut nunquam aetate infantili occurrit, sed homines aetate proveciores, praesertim mulieres ab anno quadragesimo ad sexagesimum adoriri solet.

cursum, tabe meseraica orta, non minus lentum conspicimus. Notandum tamen est, mesenteritidem tene-riori aetati propriam esse infantesque scrophulosa dispositione et cachectica constitutione praeditos afficere.

V. Inflammatio pancreatis.

Plurima, imo omnia fere Gastritidis symptomata imitatur facillimeque cum ea confunditur, quum nostra de morbo notitia adhuc perexigua et incerta sit. Propria pancreatitidis signa mihi esse videntur „dolores pone ventriculum velut e spina dorsi originem trahentes; salivatio vomitusque salivalis, quo aegroti magnam copiam aquae clarae, viscosae, salivae haud dissimilis, reddunt, cum diarrhoea, quam vocamus, pancreatica sive salivali alternantes.

Gastritis chronica.

Dolores ipsi ventriculo insidentes. Deest salivatio. Quae vomitione redduntur, initio morbi indolem aquosam habent, plerumque cibis et potu commixta sunt, amarum, rancidum, putridum spargunt odorem. Diarrhoeam aquosam in Gastritide non observamus.

Chr. Fr. Harless, die Krankheiten des pancreas. Nürnberg 1812.

Über Pancreatitis chronica cf. Hufeland's Journal Bd. LIV. St. 4, Jahrgang 1822. p. 3—15.

VI. Metritis chronica.

Pro varia inflammationis sede differt et Gastritidi plus minusve similis apparet. Causa morbi, quae in Uteri haemorrhagiis, anomala menstruatione saepe cernitur, dolorumque sedes certam dignoscendi viam monstrant.

VII. Splenitis chronica.

1. Dolores vulgo pungentes in hypochondrio sinistro circa regionem splenicam, fortiori motu et externa pressione increscentes, omnem respirationem quasi opprimentes; splenis regio tensa.

2. Symptomata sympathica v. c. dolores brachii sinistri, rubor genae sinistrae, epistaxis e nare sinistra frequens; linguae dimidia pars muco obducta, saepe brunnea; pulsus sinistro in bra-

Gastritis chronica.

Gastritis chronica abusu ciborum potuumque magis oritur quam sanguinis profluvie aut normalis haemorrhoeae suppressione.

Gastritis chronica.

1. Dolores in pylori regione vulgo prementes, ardentes, rarissime pungentes.

2. Affectiones sympathicae, quibus Splenitide laborantes saepe detinentur, a chronica ventriculi inflammatione absunt.

1) Marcus, Entwurf einer speciellen Therapie. Th. II. §. 1474—93.

Raimann, Handbuch Bd. 1. p. 369.

Lutheritz, Diagnostik p. 532—36.

chio interdum suppressi, quin adeo intermittentes, in dextro aut normales aut febriles.

3. Digestionem minus laesam videmus quam in Gastritide. Haematemesis peculiare et frequens Splenitidis signum esse videtur.

4. Functio hepatis, venae portarum, lienis intense labat; variae systematis uterini anomaliae morbo conjunctae esse solent v. c. leucorrhoea, menstruatio irregularis, amenorrhoea aut dysmenorrhoea.

5. Splenitis est morbus vegetioris aetatis, puellis frequenter superveniens.

3. Digestio graviter offensa, vomitus cruentus in Gastritide chronica rarissimus.

4. Hepatis lienisque functiones multo minus offendantur quam Splenitide. Variae systematis uterini anomaliae, licet Gastritidem interdum comitentur, vulgo desiderantur.

5. Gastritis est morbus aetatis adultioris, feminas crebro adoriens.

VIII. Hepatitis chronica.

Diagnosin eruere, quandoque difficillimum est. Respiciantur oportet „morbi causa, habitus aegroti vulgo atrabilarius, cholopoeos anomaliae signa, facies ictERICA, sapor amarus, lingua fusca, vomitus biliosus, alvus adstricta, faeces decolores aut albescentes; con-

Gastritis chronica.

Quamquam Gastritidis chronicae symptomata hepatitis simillima deprehenduntur, fere nunquam tamen tot et tam aperta functionis hepatis laesae signa in Gastritide conspicimus. Quae signa, dolorum sedes, digestio in Gastritide gravius offensa, alia-

tinua febricula, cum plenitudinis, tensionis, doloris prementis, tactu auge-scentis sensu; dolorum sedes in hypochondrio dextro atque epigastrio, frequens scapulae dextrae dolor, narium stillicidium aut haemorrhoids; respirationis difficultates, tussis peculiaris, arida et clangosa, dyspnoea, morbo magis pro-
 vecto tumor manifestus.“

Varii praeterea existunt morbi, qui, quamvis cum Gastritide chronica confundi possint interdumque reapse confusi sint, tamen a quovis medico exercitatori attenteque circumspiciente facile discernuntur. Cum longum sit, omnes, qui huc referri possint, morbos cum Gastritide accuratius comparare, nomina eorum recitare sufficiat. „Cholera, Colica, Ileus, Herniae incarceratae, morbus verminosus, plethora abdominalis, volvulus et intussusceptio intestini, aneurysma aortae, carditis, imo phthisis pulmonalis.“

A e t i o l o g i a.

Quae alias inflammationes, imprimis acutam ventriculi inflammationem, eadem gastritidem chronicam causae inducere solent. Licet quavis aetate, cum teneriori tum adultiori morbum oriri sciamus, tamen homines natu majores, praesertim mulieres, circa annum quadragesimum ad sexagesimum usque chronica gastritide affici, compertum habemus. Homines arthritide anomala, menstrui fluxus haemorrhoidumque suppressione laborantes et atrabilaria constitutione praediti, haud raro isto morbo subiguntur. Saepe hanc inflammationem repercussos pedum sudores, morbos cutaneos, exanthemata, ulcera sequi videmus. Haud minus accusandae mihi videntur injuriae stomachum offendentes v. c. potuum spirituosorum, fermentantium, relaxantium e. g. Theae, Cerevisiae, spiritus frumenti, crudorum ciborum e. g. fructuum solani tuberosi leguminumque abusus, acria porro medicamenta, imprimis emetica, purgantia drastica. Haud minoris momenti sunt res externae, quae mechanicam in ventriculum vim exerunt; vulnera, ictus et plagae, continua ventriculi compressio, quibusdam opificibus communis, quos vitam desidem agere oportet, e. g. sutoribus, sartoribus, textori-

bus, nimia corporis constrictio, qua feminae utuntur, compressio ventriculi processu ensiformi, introrsum nimis inflexo, sterno vel costis diffractis. Frequentissima Gastritidis causa in refrigerationibus ponenda videtur, quibus fit, ut potus frigidus, glacies ipsa, in aestuantem ventriculum ingesta, balneum frigidum, morbum saepe excitent. Interdum, Gastritidem acutam non plane resolutam chronica ventriculi inflammatio excipit. Alia momenta, quae praetermitti non oportet, sunt viscerum finitimorum, omenti, intestinorum, hepatis, lienis, diaphragmatis inflammationes, variae systematis sexualis atque uropoëtici affectiones, acre quodcumque vel in ventriculo, vel in alia corporis parte genitum, vel ibidem depositum v. c. bilis perversa, acida, nimis copiosa, succus gastricus valde alienatus. Plurimum hic valet constitutio aestiva. Namque febres, hoc tempore grassantes, quae saepissime pro gastritidis chronicae causis habendae sunt, plerumque naturam inflammatoriam gastrico-venosam referunt et, quod Broussais jure contendit, affectionibus inflammatoriis membranarum ventriculi intestinorumque junctae observantur.¹⁾ Inle fieri solet, ut sectis hominibus, febre gastrico-venosa, quam vulgo nervosam dicunt, defunctis,

1) Krukenberg, Jahrbücher. Bd. 2. p.

Berends, Vorlesungen. Bd. 3. p. 326.

Broussais, Examen des doctrines médicales etc. Vol. III. Paris 1821.

Sprengel., Institut. Vol. VI. p. 314.

membranam intestinorum mucosam rubram, vasa sanguine turgida, excoriationes exanthematicas ulceraque intestinalia reperiantur.¹⁾ Eandem vim quam constitutio aestiva, in concitanda Gastritide chronica, tempestas humido-frigida exercet. Quapropter tempore verno et auctumnali, blanda, quae frigore caret, hieme gastritis chronica, tamquam affectionum catarrhalium et rheumaticarum comes, non modo exacerbatur, verum etiam nascitur. Quanta denique detrimenta omnes animi motus, vim vitalem deprimentes, moeror, sollicitudo, organis abdominalibus inferant, nemo ignorat. Quae morbo augmentum frequentissime adjiciant, ipsam Gastritidis chronicae causam suppeditare, nemo inficias ibit.

1) Billard, de la membrane muqueuse gastro-intestinale dans l'état sain et dans l'état inflammatoire etc. Paris 1825.

Pommer, Beiträge zur nähern Kenntniss des sporadischen Typhus etc. Tübingen 1821.

P r o g n o s i s.

De Gastritidis chronicae exitu fausto aut in-
 austo sententiam laturi, ipsum aegrotum, morbi
 causam, sedem, gradum, stadium et symptomata
 attente circumspectamus necesse est. Cum quae-
 is affectio ventriculi morbosa per magnam, quam
 in totum organismum ventriculus exerit vim et
 per intimum gravissimis cum organis finitimis ne-
 cium, magni sit momenti: inflammatio ventriculi
 esse semper prognosin dubiam largitur. Verum-
 amen morbo ineunte aptisque medicamentis tem-
 estive adhibitis praedictio haud mala auguranda
 mihi videtur. At quo diutius morbus perstitit, quo
 majora cepit incrementa, quo magis ventriculus
 im destructus est: eo peior apparet prognosis.
 Ventriculus degeneratus in integrum nunquam re-
 tituitur. Attamen induratae membranae vel scirr-
 osae, multo melius, quam ulcera scirrhi que aperti
 exhibent praesagium. Parietis anterioris aut poste-
 oris, curvaturae minoris aut majoris degenera-
 ones levius ac diutius feruntur, quam quae py-
 rum occupant. Ubi morbus sedem fixit in car-
 a, prognosis pessima. At non a sede tantum
 gradu, verum etiam a causa morbi pendet au-
 rium. Quae si cognoscitur et suspendi potest,

spes laetior affulget, quam si ignoratur, aut omnibus praesidiis resistit. Quodsi igitur malum cum dyscrasia aliqua, ut morbo scrophuloso, haemorrhoidibus, Rheumatismo, Arthritide, menstrui fluxus morborumque cutaneorum suppressione nexum alit, Gastritis pertinax est; ergo prognosis dubia. Qui aegroti omnesquasque injurias, imprimis deprimentes animi affectus, potuum et ciborum nociferorum abusus, refrigerationem, studiosissime vitant aptaque, blanda, moderata diaeta semper utuntur, meliori eriguntur prognosi, quam qui contraria faciunt. Praeter haec morbi moram respicere oportet. Quo maturior enim curatio, eo faustior; quo diutius neglecta Gastritis, eo peior prognosis. Ubi per annos morbus est protractus ventriculique adsunt destructiones, nullum remedium aegros a morte, serius ocius irruente, valet tueri. Plurimi Marasmo, alii Hydrope, alii Enteritide, vel Peritonitide, alii haematemesi extinguuntur.

M e d e l a m o r b i .

In curandis quibuscunque morbis medela caulis longe gravissima est, quippe quae fere semper rectam viam praemonstret solaque morbum radicitus evertere possit. Proinde causas gastritidis chronicae explorare exploratasque deellare nostrum est. Metastases rheumaticas, arthriticas, haemorrhoidum menstruorumque suppressionem, pedum sudores percussos, ulcera habitalia intempestive sanata ita respiciamus necesse est, ut secretiones habituales, criticas morbumque metastaticum aut instauremus, aut alia in eorum locum substituamus. Ubi Gastritis intemperantiae, ciborum et potuum abusui originem debet, severissima imperetur diaeta. Aliam aliis causis accommodemus methodum.

Quo facto ad ipsius morbi curationem transimus, quam respectu habito dynamicae Gastritidis naturae, praesentium morbi symptomatum constitui oportet. Indolem vere inflammatoriam rarsissime, nempe tum demum induit Gastritis, cum homo robustus, plethoricus, ex haemorrhagia critica suppressa, irritantium spirituosorumque abusu, avari refrigeratione, morbum susceperit. Nihilo secus autem, ubi morbus natura peculiari, asthe-

nica insignitur, methodum leviter antiphlogisticam
 eo magis commendo, quo certius persuasum habeo,
 Gastritidem esse recentem, primum scilicet agere
 stadium, nullamque stomachi degenerationem ad-
 esse. Cum instituti policlinici Halensis, directore
 Krukenberg maxime florentis, alumnus essem, mo-
 dicam sanguinis detractionem, tam universalem
 quam topicam, salium neutrorum enematumque
 usum aegrotis saluberrimum expertus sum. Venae-
 sectio $\frac{2}{3}$ VIII—XII, minus autem favente aegroti
 constitutione, applicatae ad ventriculi regionem
 hirudines X—XVI; Natrum sulphuricum, Magne-
 sia sulphurica, Natrum phosphoricum, Tartarus
 natronatus, tartarisatus, adjectis clysmatibus, pri-
 maria saepeque sola fuerunt remedia, quibus ae-
 groti reficerentur. Misso sanguine multa sympto-
 mata, quae perperam nervoso-spastica saepe ha-
 bentur, demulceri solent; debilitas ac dedolatio
 desinunt, vertigo, capitis dolores cedunt, abdo-
 minis dolores minuuntur, sanguinis congestiones
 sedantur. Adhibitis laxantibus enematibusque mo-
 lesta alvi obstructio solvitur functionesque organo-
 rum digestionis ad normam redeunt. Ubi aegroti
 ad diarrhoeam propensi fuerunt, Krukenberg doses
 minores Nitri, Ammonii muriatici, Calomelanos,
 Magnesia carbonica additas salubres habuit. — Ma-
 ximam gravissimamque totius medelae partem cerni
 existimo in diaeta, aegrotis imperanda. Victus,
 parvus, eupeptus, simplex, liquidus magis quam
 solidus sit. Prae omnibus frequens lactis usus
 commendetur oportet. Caeteroquin opus est, ut

egroti pathemata animi deprimentia, quodvis digestionis vitium, omne refrigerium aliaque vitent. Ubi Gastritis chronica saepius recidiva evasit neglectaque ventriculi membranas plus minusve destruxit: antiphlogisticorum usum, cui singulas inter exacerbationes interdum locus est, remediis, stomachi irritationem sedantibus, partes degenerateas solventibus et derivatoriam vim habentibus, foveri oportet. Huc pertinent Mercurialia, praecipue Calomelas, Antimonialia, Fl. Zinci, Bismuthum nitricum cum Extr. Hyoscyami, Cicutae, Belladonnae, Opio etc. Formula, qua Krukenberg uti solet, haec est:

℞. Magist. Bismuth. gr. II.

Ammon. carbonic. gr. I.

Opium pur. gr. $\frac{1}{4}$.

Elaeosacch. Cajeput. gr. XII.

Mfp. Disp. dos. tal. Nro. XII. D. in vitro albo bene clauso. S. Ternis horis hauriatur pulvis.

Extr. Belladonnae, V Laurocerasi solutum, quod nonnulli commendant, laude dignum videtur; sed salubritatem Kali sulphurati, recentiori tempore justo pluris aestimatam, Krukenberg diffitetur. Interdum acidum carbonicum, rad. Ipecacuanhae, Asam foetida utilia comperi. Infusa theiformia rad. Valerianae, lb. Menth. pip., Hb. Mari veri, Fol. aurantiorum etc. non possum, quin commendem. — Remedia externa, internorum effectum adjuvantia, haec laudantur: „balnea tepida, pediluvia, emplastra re-

gioni ventriculi applicata v. c. Empl. mercurial. c. Camphora et Opio, Empl. Gummi ammoniaci, cum Aceto Squillae paratum, Empl. Sinapeos, Empl. Cantharidum, inunctiones regionis ventriculi ex Ungt. Tartar. stibiati, Setaceum. — Convalescentibus succos recens expressos, aut Extracta Graminis, Taraxaci, Fumariae, Saponariae, Cichorei, Nasturtii aquatici; serum lactis dulce, V Selterana conjunctum, V Calcariam, remedia leviter adstringentia, Hb. Millefolii, Centaur. minor., Trifol. fibr., Gentianae, lign. Quassiae, Columbo, Lich. island. commendo.

Hanc quidem diaetae curaeque instituendae rationem solam existimo, qua malum radicitus everti queat. Quamquam Gastritide neglecta nataque destructione, aegri rarissime, aut nunquam radicalem curationem recipiant, sortem tamen miseram sublevare, frequentiores inflammationis chronicae exacerbationes prohiberi vitamque prorogari, non dubitamus. Sed proh dolor! omnia remedia, ne Opio quidem excepto, in ultimo Gastritidis stadio spem nostram eludunt.

V I T A.

Ego, AUGUSTUS EDUARDUS JAENEKE, Ostervicensis, religioni christianae secundum Lutheri formulas addictus, natus sum d. XXV. M. Novbr. anni MDCCCVII, patre optimo GODOFREDO JAENEKE, utriusque medicinae doctore, matre de gente DIECKMANN, aequae dilecta, qui parentes, etiamnum superstites, me excolendum quam diligentissime curarunt. Litterarum rudimentis imbutus, gymnasium Halberstadiense, directore Maafs florens, adii, unde, elapsis septem integris annis, testimonio maturitatis munitus, academiam Fridericianam Halensem cum Vitebergensi consociatam, petii, ut in artem medicam incumberem. In qua litterarum sede frequentanti mihi scholas et philosophicas et medicas, Ill. Gerlach encyclopaediam et methodo-

logiam philosophiae, philosophiam fundamentalem, logicen ac psychologiam empiricam, Ill. Gruber anthropologiam, Ill. Germar mineralogiam, Ill. Nitzsch zoologiam atque helminthologiam, Ill. Schweigger physicen et chemiam experimentalem, Ill. Sprengel botanicen, plantarum physiologiam et cryptogamiam tradiderunt. Duce Ill. Sprengel plantas collecturus excurri et directore Ill. Schweigger in laboratorio chemico ad praxin institutus sum. Examine, quod dicunt, philosophico absoluto, ad studia medica conversus, ab Ill. Meckel anatomiam humanam, tam normalem quam pathologicam, anatomiam comparatam, physiologiam artemque cadavera secandi; a Cel. Friedlaender encyclopaediam et methodologiam medicam, ac pharmacologiam; a Cel. Schweigger-Seidel chemiam pharmaceuticam artemque formulas medicas concinnandi; ab Ill. Niemeyer doctrinam de morbis infantum artemque obstetriciam; ab Ill. Krukenberg pathologiam et therapiam, tam generalem quam specialem; ab Ill. Sprengel historiam medicam traditas accepi. Scholis clinicis medicis et obste-

liciis, quas Ill. Krukenberg et Ill. Niemeyer
constituunt, per semestre interfui. Biennio et
semestri elapsis, Berolinum me contuli, ubi Ill.
Dudolphi de anatomia organorum sensuum
cetusque; Ill. Horn de pathologia et therapia
corporum mentis; Ill. Rust de chirurgia generali
et speciali; Ill. ab Siebold de parte artis obste-
tricis practica, Ill. Jüngken de akiurgia et oph-
thalmologia, Ill. Wagner de gravissimis chirur-
gicis operationibus disserentes audiui atque scho-
las clinicas medicas, chirurgicas, ophthalmiatricas,
obstetricias virorum Ill. Bartels, Wolff, Rust,
Wagner, Jüngken, ab Siebold, frequentavi.

Tentaminibus absolutis examineque superato
credo fore ut dissertatione thesibusque publice
defensus, summi in utraque medicina honores in
me conferantur.

... et Ill. Niemeyer
... per seipsum interit. Bismarck et
... Berolinum me contulit. Ill. Ill.
... de anatomia organorum sexcentis
... Ill. Horn de pathologia et therapia
... Ill. Rust de chirurgia generali
... Ill. ab Siebold de parte artis obit
... Ill. Jäggren de aëria et op
... Ill. Wagner de gravissimis chon
... operationibus discentes adhi etque et
... chirurgias, ophthalmias
... Ill. Bartels Woll, Rust
... ab Siebold frequentat
... absolutis exanimique superato
... ut dissertatione thesibusque p
... in utraque medicina honore m
... ne contentus.

Theses defendendae.

-) *Cardialgia, quae vulgo nominatur, plerumque pendet a Gastritide chronica.*
 -) *Sententiam, quam proponit Broussais „affectionem inflammatoriam ventriculi intestinorumque causam esse proximam februm, quas dicunt, nervosarum” maxime laudo.*
 -) *Marasmus senilis est morbus.*
 -) *Ulcerum therapiam, a chirurgis empiricis ad symptomata localia conformatam rejiciens, curam rationalem morbi universalis, primarii prospero eventu tantum gaudere posse, existimo.*
 -) *Febris hectica amputationem non vetat.*
 -) *Exstirpationem strumae e chirurgia plane relegandam esse censeo.*
 -) *Sectionem lateralem ceteris lithotomiae methodis omnino praefero.*
-

